



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 109. Turcæ falso rumore territi, obsidionem solvere parati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A.C. 1453. læsos, fossasque tam celeriter purgatas, quam impletas fuisse conspiceret; quapropter Justinianum, cujus virtus sibi a deo infesta erat, auro corrumpere tentabat; verum spe sua delusus, pacem exoptare simulabat, oblatis tamen ejusmodi conditionibus, quas a Græcis nunquam acceptandas prænoverat.

§. CVIII.

Pax Græcis a Mahomete oblata.

Igitur missis ad Constantinum Fecialibus petiit, ut sibi urbem imperialem cederet, & in ejus locum Peleponnesum acciperet, pollicitus, se fratribus ejus in damni compensationem alias terras libere possidendas daturum. Verum his conditionibus, quibus Mahometes unice Constantinopolitanæ urbis dominium sibi afferere intenderat, confestim rejectis, Græcorum Imperator jam desperata pace fortiter decrevit, se urbem, si illam conservare non posset, saltem nonnisi cum propriæ suæ vitæ dispendio amissurum, & qua Imperatorem moriturum.

§. CIX.

Turcæ falso rumore territi obsidionem solvere parati.

Phranz l. 3. cap. 13. & 14. Vix non generosum hoc Imperatoris consilium Felix faustusque coronasset

fet eventus; cum enim rumor ad Ma-
 hometis exercitum pervasisset, validam
 Christianorum Principum classem ad o-
 pem urbi laboranti ferendam advenire,
 & Joannem Huniadem ex Hungaria novo
 cum exercitu accurrere, Turcæ tanto timo-
 re inde perculsi sunt, ut sine mora obsidio-
 nem solvi peterent, in ipsum quoque Ma-
 hometem maledicta jacentes, utpote qui,
 ut ajebant, certa ipsorum pernicie secre-
 ta cum Christianis consilia foveret. Ipse
 quoque Mahometes, quantumvis alias
 intrepidi animi esset, pejora seditionis hu-
 jus fata veritus jamjam tumultuantibus
 cedere statuit, consilium sibi ab Halibas-
 sa supremo Senatus sui Præfecto datum
 secuturus. Hic enim olim Mahometis
 Moderator, cum clam Christianis bene
 affectus esset, constanter urbis obsidionem
 Sultano dissuasit. Verum Zagan Bassa
 Mahometis animum erexit, eidemque ob
 oculos posuit, rumores de nova hac classe,
 atque exitu falsos esse, brevique dissipan-
 dos non sine magno turcici exercitus
 stupore, qui vel unquam turpis adeo fu-
 gæ consilia fovissè erubesceret. His Sul-
 tanus in concepta animi sententia ob-
 firmatus, urbem toto impetu oppugnare
 decernit, opulentissimæ hujus civitatis
 deprædatione militibus suis concessa, nec
 non promissa illi, qui primus murum con-
 scenderet, nobilissima Regni Præfectura.

§. CX.

Sæcul. XV.

A.C. 1453.